

Motu Proprio del Basileus Isacco II Angelo, per il riconoscimento dell'Ordine Costantiniano – anno 1191

ISACIUS ANGELUS, felix Dei Gratia Imp. Caes. Sempre Augustus, Serenissimo Alexio Angelo Flavio Comneno Filio infanti ex visceribus nostris nato, caeterisque ex prosapia Angela procreandis futuris Imperatoribus sincerae gratiae nostrae, et benedictionis aeternae augmentum.

Eosque processit imperandi libido, et regnorum aviditas, ut peractis temporibus nefanda scelera, et immanissimae atrocitates a parentibus, a progenitis, a consanguineis in hunc finem emanarint, atque utinam cessare iubeat Divina pietas, et misericordia, quibus moniti exemplis prudentia nos docet, ut ad ipsa evitanda curam, et quamcumque adhibeamus industiam. Memores itaque Divini illius favoris, quo Christus Romanum Imperium stabilivit, dum salutiferae Crucis signum Constantino Divo Caesari Augusto ex clara progenie nostra, et praedecessori maximo commostravit, quo assistente innumerae victoriae non ipsi tantum, sed caeteris ab inde Imperii successoribus sunt partae, quo nobiliores exercituum commilitones muniti quasi divino brachio adiuti, et fortes evasere, et hostium proflagatores apparuere, omnem conatum adhibuimus, ut fortiores christiani, et nobilissimi Principes, procures tali signo armati incederent, et regulas militares subirent, et licet iam paucis mensibus generalia talis Ordinis Comititia convocaverimus, regulasque et iura dederimus, quibus per ampla haec militia gubernari, et augeri possit, non tamen voti nostri compotes factos esse agnoscimus; scimus etenim privilegia, dignitates, et praerogativas esse, et praemia, et blanditias, quibus homines gloriae cupidi ornantur, et alliciuntur, unde praesentis nostrae edictalis constitutionis perpetuis valiturae temporibus decreto, confirmatis prius omnibus illis gratiis, favoribus, et privilegiis, immunitatibus, et exemptionibus, quae favorabiliter concessa fuere a Serenissimo Leone Primo Imperatore, et praedecessore nostro VI. Kal. Martii Constantino, et Ruffo Coss. Equitibus ipsis a Constantino Caesare institutis sub regula Magni Basilii, et S. Georg. Mart. patrocinio viventibus, sancimus, et decernimus, milites tam praesentes, quam in perpetuum sub dicto Vexillo futuros, ab omnibus oneribus, exactionibus, et impositionibus ... liberos, immunes, et exemptos semper fore